Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26404
Copyright: Admont, Benediktinerstift

Caduca sunt quecumque fucata sunt. nec fiduciam prebent possidentibus stabilem que pos
sessionis non habent ueritatem. Hoc manet cultu uigens uiuido. honore integro.
splendore diutino. aboleri non potest nec extingui. potest tantum in melius
corpore redeunte formari. Haec interim breuiter donate karissime. Nam
et si facile de bonitate patientiam mente in domino solidam fide tutam salutaris
auditus oblectat. nihilque tam tuis auribus gratum est quam quod in domino gratum est mo
derari. tamen dicenda debemus simul iuncti et sepe locuturi. et quoniam feriata
nunc quies ac tempus est ociosum. quicquid inclinante iam sole in uesperum dies super est.
ducamus hunc diem leti. nec sit vel hora conuiuio gratie celestis inmunis. sonet psal
mus conuiuium sobrium et tibi tenax memoria est. uox canora. adgredere hoc
munus ex more. magis karissimos pascis. sit nobis spiritalis audicio. prolectet aures reli
giosa mulcedo amen.

DE DISCIPLINA ET HABITU VIRGINUM.

Disciplina custos spei. retinaculum fidei. dux itineris salutaris. fomes ac
nutrimentum bone indolis. magistra uirtutis. facit in christo manere semper
ac iugiter deo uiuere. ad promissa celestia et diuina premia peruenire. Hanc et
sectari salubre est. et auersari ac neglegere letale. In psalmis loquitur spiritus sanctus.
Continete disciplinam ne irascatur dominus et pereatis a uia recta. cum exarserit cito ira eius
super uos. Et iterum. Peccatori autem dicit deus. ad quid exponis iustificationes meas et as
sumis testamentum meum per os tuum. tu autem odisti disciplinam. et abiecisti sermones meos
retro. Et denuo legimus. disciplinam qui abicit infelix est. Et de salomone mandata
sapientie monentis accipimus. Fili non neglexeris disciplinam dei nec defeceris ab eo
correptus. quem enim diligit deus corripit. Sicut deus quem diligit corripit. et corripit ut
emendet. fratres quoque et maxime sacerdotes non oderunt. sed diligunt eos quos corri
piunt ut emendent. quando et deus per hieremiam ante predixerit. et tempora nostra
significauerit dicens. et dabo uobis pastores secundum cor meum. et pascent uos pascen
tes cum disciplina. Quod si in scripturis sanctis frequenter et ubique disciplina precipitur. et
fundamentum omne religionis ac fidei. de obseruatione ac timore proficiscitur. quid cu
pidius adpetere quid magis uelle ac tenere nos conuenit. quam ut radicibus fortius
fixis. et domiciliis nostris super petram robusta mole solidatis inconcussi ad procellas et tur

proba